



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Antonii Bynaei de Calceis Hebraeorum Libri Duo

Bynaeus, Anthony

Dordraci, 1682

Ex redemptionis jure id fieri prolixè demonstratur.

urn:nbn:de:hbz:466:1-12835

num lex in Levitico legitur. Ex Lev. 25. 25. &c. ea lege proximus agnatus tenebatur redimere eas possessiones, quas frater, qui ad paupertatem redactus erat, vendidisset. Ex vi legis ad nihil aliud quidem obstrictus erat, quam ut redimeret fratris possessionem. Id vero ex interpretatione eo usque extensum apud Hebræos veteres fuit, ut qui redimeret possessionem defuncti, eo ipso viduam acciperet in potestatem, ut fieret ipsius uxor. Nam, uti ex hoc jure quis in demortui possessionem universam succedebat, ut omnia quæ defuncti fuerant fierent ipsius, ita & viduam accipiebat in potestatem. Id enim cavisse videntur Hebræi veteres, ut cum à propinquo redimeretur alicujus demortui hæreditas, etiam vidua duceretur in uxorem, ne illa neglecta maneret & desolata. Uxorem demortui ex redemptionis jure illius fieri qui illud admittebat & accipiebat, indicare videtur ea stipulatio, quam adhibuit Boozus. *Quo die redemeris agrum illum è manu Naomi, etiam à Rutha Moabitide uxore ipsius demortui*

mortui redemeris, ad excitandum nomen ipsius demortui super hæreditatem ejus. Ut hoc dicat Boozus: illo ipso momento, quo ex redemptionis jure agrum à Naomi alienatum vindicaturum constitueris, etiam ex eodem illo jure tibi afferueris omnia illa quæ à Rutha Moabitide proficisci possunt, ut ea in potestatem tuam veniat, eamque ducas in uxorem. In hunc sensum hæc verba jam dudum interpretatus est vir doctissimus Cornelius Bertramus. Ut omnino non fuerit ex ea lege, quæ in Deuteronomio legitur, quod eam stipulationem adhibuerit Boozus, sed ex jure redemptionis, quod ita interpretati sunt veteres Hebræi, ut una cum hæreditate uxor demortui in potestatem veniret redemptoris & ipsius fieret uxor. Hoc ipsum etiam Rutha innuere videtur, quæ ad Boozum dixit: *Expande pallium tuum super famulam tuam, tu enim es redemptor*: Quasi dicat: sub tutelam tuam me ut maritus suscipe, quoniam tu es redemptor, five proximus agnatus. Petit scilicet his verbis honeste, ut se uxorem

Bertram.
Lucubr.
Franktal.
cap. 6.

Ruth. 3. 9. *Expande pallium tuum super famulam tuam, tu enim es redemptor*: Quasi dicat: sub tutelam tuam me ut maritus suscipe, quoniam tu es redemptor, five proximus agnatus. Petit scilicet his verbis honeste, ut se uxorem

LIBER SECUNDUS. 343

rem ducat: Sensus enim est: duc me ancillam tuam in matrimonium, quia tu es, qui jure redemptionis me in potestatem tuam debes accipere. Cautum fuisse, ut in eadem familia, uti possessiones debebant manere, matrimonia contraherentur, notissimum est. Hinc, uti redimendi jus proximo agnato erat, viduam illi ducendam voverunt, ut restitueretur in familia mariti defuncti nomen, quod morte ipsius, cum prolem masculam nullam relinqueret, extinctum erat. Huc optime retulit R. Salomon Iarchi, qui notavit hæc ex lege dici quæ in Levitico legitur: *Et veniat redemptor ejus, qui propinquus ei & redimat.* וחמורו ואני צריכור למכור נהלתינו ועתה עליך לקנות קנה גם אותי עמה שיזכר שם המת עלי נהלתי כשאבא עלי השדה יאמרו זרות אשת מחלון. *Nam socrui mee & mihi necesse est, ut vendamus hæreditatem nostram. Et nunc cum acquiras, acquire etiam me cum ea, ut in memoria habeatur nomen defuncti propter hæreditatem ejus, ut, cum veniam in agrum, dicant, hæc uxor Machlonis.* Sane si jus redemptionis

Sal. Iarchi
ad Ruth.
3. 9.

non eo usque fuisset extensum, nimis impudens fuisset Ruthæ postulatum, neque Boozus eam laudasset, quod neminem alium fuerit secuta, sed illis, quibus debebatur ex jure redemptionis, se obtulerit, ut nomen defuncti in ipsa familia restitueretur. Hæc confirmat totius historiæ series, quæ ostendit ex jure redemptionis cuncta peragi. Ut frustra sint homines eruditissimi, qui ex lege de leviratu exponant. Quis enim non videt longe verifimilius de eo ritu five cerimonia hic agi, quæ olim adhibebatur in redemptione aut permutatione rerum, qua quis, in signum se cedere suo jure, calceum extrahebat, quam de ea calcei de tractione, quæ locum habebat, cum levir viduam fratris sui ducere recusabat.

XII. Sed hic non levis controversia est inter viros doctissimos, an ipse Boozus extraxerit suum calceum & dederit *רַל דֵּיוֹא*, an vero *וֹ דֵּיוֹא* calceum exuerit, & dederit Boozo. Alii enim sacri textus verba, *exiit calceum suum*, referunt ad Boozum, alii ad *רַל דֵּיוֹא*. Chaldæus Paraphrastes